

clericus degradatus privilegio Canonis, ita ut ejus inductor, aut percussor, quamvis injustus, non incurrat excommunicationem latam in percussores clericorum, arg. cit. c. *Novimus*. ibi: « Degradatus tanquam exutus privilegio clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur. » Concordat c. *Degradat. de pœnis* in 6, ibi: « Degradamus, et eximus te omni ordine, beneficio, et officio clericali. » Dum e contra degradatus verbaliter duntaxat, et simpliciter depositus privilegium clericale retineat. Glossa in cit. c. 2, de Pœnis in 6, § *Privilegio clericali*, et ibi Barbosa n. 9.

35. *Degradatio secundum aliquos imponitur ob quodvis crimen in jure civili ultimum supplicium habens.* — Quæritur VI. Ob quæ crimina imponatur pœna degradationis et traditionis curiæ sæculari? Non defuerunt, docentes, quod in omnibus delictis, pro quibus secundum leges imponitur pœna mortis naturalis, quoad clericos succedat pœna degradationis et traditionis Curie sæculari: eo quod in hujusmodi delictis atrocissimis non inveniatur aliqua pœna canonica, qua reus possit condigne puniri; cum secundum canones nunquam imponatur pœna mortis corporalis, arg. c. *Clericus*. et c. *Sententiam. Ne clerici et monachi*, etc.

36. *Rejicitur hæc opinio.* — Sed hanc opinionem rejicit Fagnanus in c. *Cum non ab homine; de judiciis*. n. 60. Quia, inquit, Ecclesia habet pœnam carceris perpetui, quæ proportionatur pœnæ mortis naturalis, saltem quando detrusus debet sustentari pane et aqua, sive ut loquitur textus in c. *Novimus*. § fin. *de Verbor. signific.* « Pane doloris, et aqua angustiae. » Sic enim clericus delinquens non est impunitus, imo acrius affligitur; quia minor est pœna statim mori, quam diu affligi, et salutem non sperare, arg. c. *Nihil enim*. il. 2, *de Consecrat.* dist. 5.

37. *Et concluditur, degradationem incurri ob sola crimina in jure expressa.* — Resp. proinde cum citato Fagnano n. 38 et seqq. Pœnam degradationis imponi tantum in casibus a jure expressis. Probatur id ex eo; quia lex civilis in multis casibus imponit laico pro certis flagitiis pœnam mortis; lex canonica vero aliam pœnam, quam degradationis actualis, et traditionis Curie sæculari: Sic enim laicis imponitur pœna mortis, l. *Quamvis hæc*, 2. C. *Ad Legem Juliam de adulteris* ibi: « Sacrilogos autem nuptiarum gladio puniri oportet. » Et tamen pro

adulterio clericus secundum canones non degradatur, sed simpliciter deponitur, et in monasterium detruditur, c. *Si quis clericus*. dist. 81. Item pro raptu lex civilis imponit laico pœnam ultimi supplicii, l. un. C. *de Raptu virginum*: sed clerico imponitur non pœna degradationis, sed depositionis, can. *de Puellis*. 36, q. 2. Omitto alia exempla, quæ refert Fagnanus loc. cit. n. 83 et seqq.

38. *Allegantur hæc crimina.* — Porro crimina, pro quibus jure canonico clericis imponitur pœna degradationis et traditionis curiæ sæculari, sunt sequentia: I. Hæresis, c. *Excommunicamus*. § *Damnati*, etc. *Ad abolendam de hæreticis*. II. Crimen falsificationis litterarum Apostolicarum c. *Ad falsariorum de crimine Falsi*. III. Crimen insidiarum, et conspirationis in proprium episcopum, c. *Si quis sacerdotum*, et c. *Statuimus*. 11, q. 4. IV. Crimen assassinatus in clerico, arg. c. *Pro humani de homicidio* in 6. V. *Incorrigibilitas* clerici post servatos aliarum pœnarum gradus, arg. c. *Cum non ab homine. de Judiciis*. VI. Crimen nefandum contra naturam, ex Constitutione B. Pii V, quæ incipit: *Horrendum illud scelus*. VII et VIII. Celebratio Missarum, vel auditio confessionum a non presbyteris, ex constitutione 81. Clementis VIII, et incipit: *Etsi alias*, etc. IX. Falsificatio Monetarum in Italia, per constitutionem Urbani VIII, quæ incipit: *In suprema*. De quibus plura Fagnanus loc. cit. n. 68 et seqq.

39. *Depositiō simplex ab episcopo, et vacante sede a capitulo, et utriusque vicario generali ex speciali mandato fieri potest, et debet.* — Quæritur VII. A quibus, et quomodo fieri possit, et debeat tam verbalis, quam realis depositio, seu degradatio? Resp. I. Depositiō simplex seu verbalis a proprio delinquentis clerici episcopo saltem confirmato, etsi nondum consecrato (cum non sit actus ordinis, sed jurisdictionis) vel ejus vicario generali fieri potest et debet, uti colligitur ex concilio Trident. Sess. 14, *de Reformat.* cap. iv. Et quoniam Sede vacante capitulum in jurisdictione Episcopi succedit c. *His quæ* 11 et c. *Cum olim de Majorit. et obedient.* ab eodem capitulo, vel ipsius vicario generali de speciali capituli mandato fieri etiam poterit. Castro Palao, Tract. 29. Disp. 4, p. ult. n. 7, et alii communiter.

40. *Degradatio realis vero, seu solemnī solo episcopo consecrato.* — Resp. II. Degradatio realis, seu actualis et solemnī, non

nisi ab episcopo consecrato fieri potest. Barbosa *de Offic. et potestat. episc.* allegat. 110, n. 24. Layman, loc. cit. n. 5, cum Glossa communiter recepta in c. *Transmissum. de Election.* § *De talibus*, arg. cit. concil. Trid. sess. 23, cap. iv, ibi: *Per se ipsum*. Ratio est; quia, uti ibidem bene notat Glossa, degradatio realis videtur actus ordinis episcopalis, consequenter non nisi ab episcopo consecrato fieri potest.

41. *Utraque autem fieri debet assistente certo numero prælatorum; et quorum?* — Resp. III. Quamvis olim tam ad depositionem simplicem, quam degradationem clerici realem necessarius fuerit certus numerus episcoporum, ita quidem ut existente reo presbytero, sex diaconi, aut subdiaconi, tres alii episcopi una cum proprio præsentibus esse debuerint, can. *Felix*. 4, can. *Si autem*. 5, *cau* 15, q. 7, juncto c. 1, *de Hæreticis* in 6, tamen hodie ad utramque sufficit, si loco episcoporum tot adsint Abbates usum mitræ, et baculi habentes, vel his deficientibus totidem alii in dignitate constituti, ætate graves, et scientia præclari clerici. Sic enim navissime statutum habetur a Concilio Tridentino sess. 13, *de Reformat.* cap. iv, ibi: « Cum vero tam gravia non nunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem e sacris ordinibus deponenda, et curiæ sæculari sint tradenda: in quo secundum sacros canones certus episcoporum numerus requiritur: quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur: si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit et decrevit episcopo per se, seu illius vicario in spiritualibus generali, contra clericum, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depositionem, et per se ipsum etiam actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum episcoporum præsentia, in num. a canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut diocesi reperiri et commode interesse possint alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant. »

42. *Qui non tantum consultivum, sed etiam decisivum votum habeant.* — Porro iis, sive episcopis, sive abbatibus, sive aliis clericis, qui juxta dicta necessario præsentibus esse debent, non tantum consultivum, sed etiam decisivum votum competit, ita ut sine ipsorum voto et assensu episcopus nec ad depositionem, nec ad degradationem venire valeat, can. episcopus. cau. 15, q. 7, c. *Non potest*. 3, *de Sentent. et re judicat.* Etiam post concilium Tridentinum; cum ab ipso circa hoc punctum nil sit immutatum, uti cum communiori recte observat Barbosa loc. cit. n. 26.

43. *Ita quidem ut etsi ad depositionem verbalem et realem clerici in minoribus sufficiat major pars assistentium.* — Et quamvis juxta receptam sententiam ad depositionem verbalem, seu realem clerici in minoribus constituti sufficiat consensus majoris partis præsentium requisitorum, eo quod regulariter loquendo, et ubi aliud de jure specialiter non requiritur, quæcunque a majori parte fiunt, ab omnibus geri censeantur, c. *De his, quæ a majori*. et l. *Quod major*. 19, ff. *ad municipal.*

44. *Tamen reo existente presbytero unanimis consensus omnium. Terminus concursus indicat unanimes.* — Idque ob paritatem rationis. Sylvester § *Degradatio*. n. 1 et 3, cum Glossa in c. *Cum olim. de Sentent. et re judicat.* § *Præsentibus*. extendit etiam ad depositionem clerici in majoribus constituti; tamen probabilior, et communior sententia est, saltem ad sacerdotis depositionem requiri unanimes consensus præsentium requisitorum. Barbosa cit. alleg. 110, n. 28. Abbas in c. *Non potest* 3, *de Sentent. et re judicat.* n. 16. Felinus n. 5. Imola, et alii, arg. cit. c. *Non potest*. ubi expresse requiritur concursus Sacerdotum sententia, qui terminus concursus non nisi in unanimes verificatur, arg. c. *In causis* 3, *de Election.* ubi factum concorditer opponitur facto a majori parte.

45. *Modus et forma, quæ in degradatione reali seu solemnī servari debent.* — Resp. IV. Modus, et forma solemnitatis, quæ in degradatione servari debent, præscribuntur c. *Degradatio*, 2, § *Actualis vero*, h. t. in 6, et pontificali Romano, vi cujus, postquam a præsentibus requisitis assistentibus per episcopum degradatio decreta est, clericus degradandus sacris vestibus indutus, in manibus habens instrumenta ordinis, a quibus

degradatur, competentia, ad episcopi præsentiā ducitur: episcopus autem assistentibus sibi supra dictis Ecclesiæ prælatis, et præsentē iudicē sæculari, in Ecclesia vel alio loco sacro, ordine retrogrado, id est, incipiendo ab illo, quod in ultima ordinatione acceperat, usque ad primum, quod datur in collatione primæ tonsuræ, eum vestibus, et ornamentis sacris cum certa verborum forma exiit, et tandem caput radit, ac præmissis efficacibus et seriis intercessionibus, circa mortis periculum sententia circa eum moderetur, tradit iudici sæculari: prout amplius habetur cit. c. *Degradatio*, § h. t. in 6. Actualis vero, sive solemnī cœlestis militiæ militis, id est, clerici degradatio, cum ad eam fuerit procedendum, fiet, ut exauctoratio ejus, qui militiæ deservit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris rejicitur, privatus consortio et privilegio militari. Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare ad episcopi præsentiā adducatur: cui episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum clericorum, in sua ordinatione ab episcopo fuerint tradita, seu collata singulariter auferat, ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum et traditum fuit ultimo inchoando et descendendo gradatim degradationem continuet, usque ad primam vestem, quæ datur in collatione primæ tonsuræ: tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne tonsura seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quam in collatione ordinum sunt prolata dicendo presbytero hæc vel similia verba in remotione planetæ: auferimus tibi vestem sacerdotalem, et te honore sacerdotali privamus: sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit primum infra scripto, vel alio simili modo pronuntiet, sive dicat: auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, et deponimus, degradamus, collimus, et eximus te omni ordine, beneficio, et privilegio clericali.

46. *Dum degradatus traditur curiæ sæculari, debet præmitti intercessio seria contra pœnam mortis? eam omittens non est irregularis.* — Dicitur autem notanter: præmissis efficacibus intercessionibus, quia, quamvis multi, inter quos etiam Suarez est, velint, episcopum non incurrere irregularitatem, etiamsi sine hujusmodi intercessione tradat degradatum curiæ sæculari; tum quia in c. *Novimus, de Verb. signif.* dicta intercessio ad evitandam irregularitatem non præscribitur; et vel inde ea omīssa irregularitas non contrahitur, utpote, quæ non nisi in casibus a jure expressis incurritur, c. *Is qui, 18, de Sentent. excommun.* in 6. Tum quia c. *Episcopus, 3, Ne clerici, vel monachi,* in 6 eum, qui causam sanguinis justitiæ alterius delegat, Papa ab irregularitate absolvit; nulla facta mentione de tali intercessione vel protestatione contra pœnam sanguinis, dummodo hanc non demandet; tamen securius est, ut talis intercessio præmittatur, præsertim quia ea, etsi non sub irregularitate, tamen expresse præscribitur, c. *Novimus, de Verb. signif.*

47. *Differentia inter simplicem depositionem, et degradationem.* — Cæterum ex his colliges quomodo depositio, et degradatio differant. Nam quamvis hæc duæ pœnæ canonicæ in multis conveniant, adeo ut quandoque pro eodem accipiantur, differunt tamen, quod degradatio actualis habeat aliam et majorem solemnitatem, includat etiam actionem realem, privationem omnis privilegii clericalis, ac traditionem curiæ sæcularis; non item depositio verbalis. Item quod depositio etiam ab episcopo non consecrato, ejusque vicario generali, item Sede vacante a capitulo, et illius vicario generali fieri possit, degradatio vero a solo episcopo consecrato juxta dicta.

48. Addit Fagnanus, in c. *Requisivit, de Ordinatis ab episc.* n. 74, quod ab officiis et dignitatibus ecclesiasticis non fiat solemnī degradatio, sed verbalis tantum depositio seu privatio per sententiam. Nam ut declarat Pontificale Romanum: « Proprie loquendo quis a dignitatibus et honoribus deponitur, sed ab ordinibus degradatur. » Et ratio diversitatis est, quia officia et dignitates sicut nuda voluntate et verbo conferri, et ita auferri possunt: at in collatione ordinum non sufficit sola voluntas et verbum, sed opus est factio. Hinc idem Fagnanus, in c. *Cum contingat, de Ætat. et qualitat. ordin.*

## § III.

## DE INFAMIA.

n. 62, ait: quod solemnī degradatio nil aliud sit, quam actualis depositio ab ordinibus susceptis.

49. *Judex laicus, cui degradatus traditur, non potest petere, et examinare processum episcopi, num rite sit factus.* — Quæritur VIII. Utrum judex sæcularis contra clericum degradatum sibi traditum possit instituere novum processum? vel formatum a iudice ecclesiastica pro revisione, an juste formatum fuerit, petere? vel utrum teneatur stare formato a iudice ecclesiastico? Resp. I. Certum est, quod judex laicus non possit indagare de valore et justitiā processus, quem in degradando clerico formavit episcopus; quia est materia mere spiritualis, et actus ordinis episcopalis, de qua materia cognoscere non valet laicus, c. *Decernimus, 2, c. Quanto, 3, c. Si judex, 12, de Sentent. excommun.* in 6, cum Concordantiis.

50. *Nec instituere contra degradatum novum processum, si delictum est mere ecclesiasticum.* — Ex eadem ratione certum etiam est, quod contra clericum degradatum non possit instituere novum processum, si delictum est mere ecclesiasticum, ut sunt hæresis, apostasia, sacrilega celebratio Missæ, vel auditio confessionis sacramentalis, uti cum communi recte docent Abbas, in c. *Ad abolend. 9, de Hæreticis,* et ibi n. 12; Felinus, n. 5; Clarus, q. 97, n. 7, prout etiam supra tit. VIII, *de Hæreticis,* a n. 45, ubi multa ad propositum doctrinæ præcedentis et præsentis numeri habes.

51. *Bene vero, si est mixti fori.* — Resp. II. Si crimen, ob quod clericus fuit depositus, est mixti fori, ita ut de illo per laicum commissio alias cognoscere valeat judex laicus, cujusmodi sunt simonia, adulteratio monetae, etc. judex sæcularis non tenetur stare processui per iudicem ecclesiasticum facto; sed, si vult, potest (etsi non teneatur) novum processum erga degradatum instituere, eumque prout invenerit, legibus conformiter judicare, et punire. Abbas, in c. 1, *de Offic. ordin.* n. 14; Clarus, § fin. q. 96, n. 7; Layman, lib. I, tr. V, p. 3, cap. v, n. 6, arg. *Novell. 113, cap. XXI, § Si vero crimen.* Ratio est, quia cum in tali casu crimen mixti fori sit, et iudex de valore processus a iudice ecclesiastico facto non indaget, sed absolute novum juxta leges instituat, nullo modo materiæ, aut jurisdictioni spirituali et ecclesiasticæ se immiscet.

52. *Infamia, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit infamia? Resp. I. Infamia est privatio, seu diminutio bonæ famæ; sive ut loquuntur jurisconsulti, « infamia est læsæ dignitatis status, vita, et moribus reprobatas, » l. *Cognitionem, 5, § 1, ff. de Extraord. cognit.*

53. *Alia est facti, alia juris: et hæc alia ipso jure et facto contrahitur, alia per iudicem infligitur.* — Resp. II. Infamia duplex communiter assignatur, videlicet infamia juris et infamia facti. Hæc posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos, et honestos viros læditur, licet ab ipso jure expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, arg. l. *Neque famosus, 2, c. de Dignitat.* infamia vero juris est, quæ ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter, ita videlicet, ut vel ipso jure et facto infamia contrahatur, vel primum per sententiam iudicis secundum juris declarationem infligitur.

54. *Infamia juris ipso jure vi sacrorum canonum incurritur per delicta, ob quæ de jure civili eadem contrahitur, nisi sit specialis limitatio.* — Quæritur II. Ob quæ crimina ipso jure, et facto contrahatur infamia juris? Resp. I. Regulam esse generalem, jure canonico omnes eos censi infames, quicumque jure civili habentur infames; nisi infamiam jure civili introductam canones specialitè sustulerint. Prior pars habetur clare ex c. *Omnes, 6, q. 1,* ubi Hadrianus Papa inquit: « Omnes vero infames dicimus, quos leges sæculi infames appellant. » Concordat c. *Infames, 6, q. 1,* ibi: « Infames esse dicimus, omnes, quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant. » Altera vero pars probatur ex c. ult. *De secundis nuptiis,* ubi infamia jure civili l. 1, c. *de Secundis nuptiis,* decreta mulieri intra annum luctus nubenti fuit sublata.

55. *Allegantur delicta ob quæ jure civili infamia juris ipso facto contrahitur.* — Resp. I. Jure civili infamiam juris ipso jure et facto contrahunt, sequentes vid. hœc. l. *Qui, ex ve viri, sive femine, quæstoria prostitutione lenocinium exercent. l. Adulterus, 4, § 2, ff. de His, qui notant. infam. l. Palam, 43, ff.*